

§. XXXIV. Nec solum Reges omnium liberrimi, sed Sacerdotes quoque sumus in aeternum, quod longe regno excellentius. Per sacerdotium enim digni sumus *coram Deo* apparere, pro aliis orare, & nos inuicem ea, quae Dei sunt, docere. Hæc enim sacerdotum officia sunt, quæ prorsus nulli incredulo concedi possunt. Ita Christus nobis obtinuit, si in eum credimus, vt sicut confratres, cohæredes & conreges, ita & consacerdotes ei simus, audentes cum fiducia per *spiritum fidei*, coram Deo prodire, & clamare: *Abba Pater*, & alter pro altero orare, & omnia facere, quae videmus, visibili & corporali officio sacerdotum geri & figurari. Qui vero non crediderit, huic nihil seruit aut in bonum cooperatur, sed omnium ipse *seruus* est, & omnia cedunt ei in malum: quia omnibus impie vtitur in sua commoda, non in Dei gloriam. Ita nec sacerdos est, sed *profanus*, cuius oratio fit in peccatum, nec coram Deo vmquam apparet, quia Deus peccatores non exaudit.

Quis ergo comprehendere potest altitudinem dignitatis Christianae, quae per regalem suam potentiam omnium dominatur, mortis, vitae, peccati &c. Per sacerdotalem vero gloriam apud Deum omnia potest, quia Deus facit, quae ipse petit & optat, sicut scriptum est: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet illos.* Ad hanc gloriam certe nullis operibus, sed sola fide peruenit.

§. XXXV. Ex iis clare videre potest quilibet, *quomodo* Christianus homo *liber* est, ab omnibus & super omnia, ita vt nullis operibus *ad hoc* indigeat, vt *iustus & saluus sit*, sed sola fides hæc omnia largitur abunde. Quod si sic desiperet, vt per vllum opus bonum (§. LI. XV. LXXII.) *presumeret* iustus, liber, saluus, Christianus fieri, (§. XI.) statim amitteret fidem cum omnibus bonis. Quae stultitia pulchre figurata est in fabula illa, vbi canis in aqua currens, & carnem veram in ore gestans, deceptus vmbra carnis in aqua pa-

C

ren-